

Senones, Carnutes Treverosque venissent, initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, ut¹ omnia postponere videretur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Confines² erant hi Senonibus civitatemque patrum memoriā coniunxerant.³ Hac re pro suggestu⁴ pronuntiata eodem die cum legionibus in Senones proficiscitur magnisque itineribus eo pervēnit.

¹to make it appear that he was postponing the whole matter. ²neighbors. ³made one state with them. ⁴from a platform.

XXX.

Caesar crosses the Rhine a second time (Caes., Bell. Gall., VI., 9).

Caesar, postquam ex Menapiis in Treveros venit, duabus de causis Rhenum transire constituit; quarum una erat, quod auxilia contra se Treveris miserant, altera, ne ad eos Ambiorix receptum¹ haberet. His constitutis rebus paulum supra eum locum, quo ante exercitum traduxerat, facere pontem instituit. Magno militum studio paucis diebus opus efficitur. Firmo in Treveris ad pontem praesidio relicto, ne quis ab his subito motus oreretur, reliquas copias equitatumque traducit. Ubii, qui ante obsides dederant atque in deditionem venerant purgandi sui causā ad eum legatos mittunt, qui doceant neque auxilia ex sua civitate in Treveros missa neque ab se fidem laesam²; petunt atque orant, ut sibi parcat, ne communi odio Germanorum innocentes pro nocentibus poenas pendant; si amplius obsidum vellet, dare pollicentur.

¹place of retreat. ²break.

XXXI.

Factions among the Gauls (Caes., Bell. Gall., VI., 11).

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus et, quo differant hae nationes inter sese, proponere. In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque in omnibus pagis partibusque,¹ sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque factionum principes sunt, quorum ad arbitrium summa omnium rerum redeat.² Ita eius rei causā³ antiquitus⁴ institutum esse videtur, ne quis ex plebe contra potentiorum auxilii egēret: suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem.

¹district. ²to whose arbitrament the final decision of everything comes. ³with this object. ⁴from ancient times.